

vero circa species intelligibiles Angelorum occurrentes adeo insuperabiles non sunt, ut propter illas sit et communis sententia, et probabilior naturalis ratio, et magna ex sensibilibus manuductio deneganda. Illæ vero difficultates particulares quæstiones de his speciebus attingunt, ideoque commodius in sequentibus capitulis tractabuntur. Quod vero illa opinio addit, determinationem potentiæ intellectivæ ad talem actum sufficienter fieri ex præsentia objecti, posset fortasse habere locum quoad aliquam determinationem cognitionis intuitivæ, vel abstractivæ, supposita sufficienti constitutione intellectivæ potentiæ in actu primo, ut infra declarabimus, non tamen habet locum respectu intellectus nudi, et in pura potentia existentis respectu objecti, ut declaratum est. Neque æquiparatio inter intellectum, et voluntatem quoad hoc procedit: tum quia voluntas non est potentia, quæ operetur per modum assimilationis, sed tantum per modum impulsus, et ideo præsentato objecto est principium integrum activum sui actus, quod non habet intellectus propter contrariam rationem, ut declaravi: tum etiam quia voluntas supponit objectum præsens non extra, sed intra animam, vel Angelum media cognitione, et ideo potest ab illo sine propria efficientia intimo quodam modo excitari, et metaphorice moveri tanquam a fine: intellectui vero non ita conjunguntur extrinseca objecta, ut sine interventu specierum illum movere, aut determinare possint.

28. *Ad fundamenta quartæ opinionis in numero quarto.* — Tandem ad fundamentum ultimæ sententiæ jam reddita est ratio, ob quam substantia finita non sit per se repræsentativa intelligibiliter, seu intentionaliter aliarum rerum intelligibilium ab ipsa distinctarum, quas nec eminenter continet, nec earum est instrumentum, vel quasi semen ad earum repræsentationem ordinatum. Et ideo non procedit comparatio cum specie intelligibili, quæ ibi sit: nam substantiis finitis hoc est familiare, et proprium, ut mediis accidentibus multa efficere valeant, quæ per seipsas non possunt. Ad confirmationem autem, in qua infertur, Angelum fore natura sua quasi cæcum, si per suam substantiam cætera videre non posset, negatur consequentia, quia non est cæcus qui caret speciebus, sed qui caret potentia capaci visibilium specierum, vel illam omnino impeditam habet: Angelus autem ex natura sua habet facultatem capacem specierum intelligibilium, et nullum habet impedimentum reci-

piendi illas, imo fortasse illas habet connaturales, ut dicemus. Et ideo sequela illa nullam verisimilitudinem habet.

## CAPUT IV.

QUOMODO UNUSQUISQUE ANGELUS SEIPSUM, ET OMNIA, QUÆ IN EO SUNT, VIDEAT?

1. *Genera quatuor objectorum cognoscibilium ab Angelo.* — Explicavimus in generali objectum, et medium angelicæ intellectionis, nunc ad particularia objecta descendendum est. Possumusque ad quatuor capita hæc objecta revocare, quæ sunt vel Angelus seipsum cognoscens, vel alii Angeli, et immateriales omnes creaturæ, vel corpora, et materialia omnia, vel Deus ipse, quem ultimo loco ponimus, quia non per se, sicut res create, sed per cætera omnia objecta creata naturaliter cognosci potest. Et quia in capite primo, obiter ostensum est, hæc omnia posse ab unoque Angelo cognosci, duo supersunt circa singula declaranda, scilicet, principium, seu medium, per quod cognoscitur, et actus, seu modus, quo cognoscitur. De Angelo ergo seipsum cognoscente videndum est, an indigeat specie intelligibili, ut proximo principio, seu medio cognitionis sui, vel quo medio ad se cognoscendum utatur. Et in hoc sensu proponitur hæc quæstio a theologis, his verbis, utrum Angelus se per suam essentiam cognoscat? Quam male intellexit Marsilius, in 2, quæst. 6, art. primo, et ideo imponit D. Thomæ quod asseruerit, Angelum cognoscere se per suam essentiam tanquam per actum cognoscendi, quod valde alienum est a mente, et doctrina ejus: nam de omni intellectione angelica definivit esse rem distinctam ab ejus essentia, quæst. 54, art. primo. Cum ergo quæritur, utrum Angelus se cognoscat per suam essentiam, non est sensus, an se cognoscat per illam tanquam per actum, sed tanquam per proximum principium actus, quod solet esse species.

2. *Prima opinio Angelum indigere propria specie ad sui cognitionem.* — In quo puncto prima opinio est, Angelum indigere propria specie intelligibili suæ substantiæ, ut illam intelligere possit. Solet hæc opinio tribui Alensi, 2. part., quæst. 23 et 24. Sed ibi nihil apud illum reperio: nam in quæst. 23, solum agit de cognitione matutina, et vespertina creaturarum. Et licet præter matutinam, quæ est in Verbo, distinguat duplicem vespertinam, unam, quæ est de creaturis, ut sunt in

mentibus angelicis per species impressas, et aliam, quæ est de creaturis, prout sunt in seipsis per species a rebus acceptas, nunquam tamen dicit Angelum habere de seipso hanc duplicem cognitionem vespertinam, quamvis illam etiam non excludat, sed indifferenter loquatur. In quæst. 24, tractans, quomodo Angelus Deum, alios Angelos, et res materiales cognoscat, nihil de modo, quo seipsum Angelus cognoscit, disputat. Unde dubia est ejus sententia: nam vel idem sentit de cognitione sui, et aliorum, vel certe supponit tanquam notum, Angelum se per seipsum cognoscere. Allegari etiam potest pro hac sententia Marsilius, sed ille solum negat, Angelum per suam essentiam tanquam per intellectionem se cognoscere. Parum vero ibi distinguit inter speciem, et intellectionem, et ideo non multum alienus ab hac sententia esse videtur, quæ tribuetur etiam Scoto. Sed non est hæc ejus opinio, ut infra dicam, imo ille hanc tribuit Henrico, et impugnat: Vasquez autem Henricum excusat, dicens, docuisse illum, unum Angelum per habitum scientialem cognoscere alios, non autem seipsum.

3. *Quid sentiat in hoc puncto Henricus.* — At Henricus in quolib. 5, quæst. 14, circa finem, sub littera V, hæc verba expressa addit. *Dico, quod Angelus non intelligit res alias a se per essentiam suam, et quod plus est, neque essentiam suam propriam, ut jam dicetur, sed solum per aliquid additum suæ essentiae re differens ab illa.* Per hoc autem additum evidenter intelligit habitum scientialem, de hoc enim dixerat, quod licet Angelus intelligat per suam essentiam tanquam per potentiam intellectivam (quam non putat esse aliud ab essentia,) nihilominus ad actum intelligendi requiri ultra essentiam *aliquid differens ab ipsa, quod sit ex parte intelligibilis*, scilicet, scientialem habitum. Et de hoc addit, non solum ad alia cognoscenda, sed etiam ad propriam essentiam esse necessarium. Et in eodem sensu subjungit: *Per suam essentiam tanquam per rationem intelligere primo, et per se, sive seipsum, sive alia a se, hoc soli Deo convenit.* Ubi non loquitur de intelligere per suam essentiam tanquam per actum secundum, sed tanquam per rationem intelligendi ex parte rei intelligibilis. Et in hoc sensu docet esse proprium Dei cognoscere se per suam solam substantiam, non solum tanquam per actum intelligendi, sed etiam tanquam per proximam, et integram rationem intelligendi se. Nam creatam substantiam præter actum indigere putat princi-

pio proximo distincto a substantia, quod non est intellectus, hunc enim, ut dixi, ille non distinguit a substantia, sed est habitus scientialis, quem ipse excogitavit. Ostendimus autem in capite præcedenti hunc habitum scientialem non posse esse, nisi speciem intelligibilem valde universalem, ergo secundum Henricum ita cognoscit Angelus se per speciem, sicut alios. Fundamentum hujus sententiæ esse potest, quia substantia Angeli licet sit naturaliter conjuncta intellectui suo, ut essentia proprietati, quæ ab illa manat, et in illa manet, nihilominus per seipsam non est illi unita ut objectum intelligibile, nec ut forma constituens illum in actu primo ad eliciendum actum intelligendi seipsum, ergo indiget specie intelligibili suæ substantiæ, ut illam cognoscat.

4. *Secunda opinio.* — *Admittit in Angelo speciem ad sui notitiam abstractivam.* — Secunda opinio distinguit in Angelis duas sui cognitiones, unam intuitivam, aliam abstractivam, et priorem dicit fieri per substantiam ipsius Angeli sine specie, propter posteriorem vero necessariam esse speciem. Ita opinatur Scotus, in 2, d. 3, quæst. 10, in fine corporis, *proxime ante solutionem argumentorum*, Bassolus, ibi quæst. 3, ad 2. Idem insinuant, licet obscurius, Major ibi quæst. 4, in Probationibus conclusionis, et in Solut., ad 3, et Gabriel, quæst. 2, art. 3, in prima ejus parte, conclus. 3, simul cum 4 et 10, et de priori parte hujus sententiæ postea dicemus, nam veram esse censemus. Posterior autem pars dupliciter intelligi potest, primo ut Angelus possit cessare a cognitione intuitiva sui ipsius, ut est probabile, quo posito etiam est probabile, posse cognoscere abstractivæ suam quidditatem, præscindo ab actuali existentia: nulla enim in hoc repugnancia apparet. Quia superior Angelus cognoscere potest inferiorem abstractivæ, et idem Angelus potest superiores, et inferiores abstractivæ cognoscere, quando illos intuitive non videt, ergo etiam seipsum. Jam ergo probatur, cognitionem illam abstractivam non fieri per essentiam, quia essentia Angeli non nisi ut actu existens potest ad sui cognitionem concurrere, sed sic concurrente, necessario inducit cognitionem intuitivam, ergo si habet Angelus cognitionem abstractivam, non ab ipsa essentia immediate, sed ab specie procedit. Probatur minor, quia substantia Angeli ita terminat cognitionem sui, sicut illam efficit, quia efficit, quantum potest, et quasi super seipsam reflectitur, ergo sicut efficit ut existens actu, ita videtur ut actu existens, ac subinde intui-

tive, ergo ad cognitionem abstractivam sui necessaria est species. Aliter intelligi potest, ut Angelus non cessando a cognitione intuitiva sui, simul se abstractivè cognoscat, quia non repugnat simul habere duos actus, ut infra videbimus, et illi non habent inter se specialem repugnantiam, quia non opponuntur in abstractione (ut ita dicam) negativa, quæ privativam, vel contradictoriam oppositionem ex parte objecti includat, sed distinguatur secundum præcisivam abstractionem ex parte objecti, quæ oppositionem non includit. Et hoc expresse affirmat Major, et sentit Gabriel. Tunc ergo sicut illæ duæ intellectiones distinctæ sunt, ita a proximis principiis procedunt, ergo intuitiva est per substantiam immediate, abstractiva per speciem ejus.

5. *Tertia opinio.*—*Angelum seipsum immediate per suum intellectum cognoscere.*—Tertia opinio est, Angelum non cognoscere se per speciem intelligibilem, nec etiam immediate per suam substantiam, sed immediate per solum intellectum suum, quia respectu cognitionis suæ substantiæ est sufficienter constitutus in actu primo completo, et proximo per seipsum. Quia vero hanc perfectionem habet talis intellectus per emanationem a sua essentia, ideo radicaliter dici potest Angelus se cognoscere per suam substantiam. Hæc opinio tribuitur communiter Cajetano a modernis Thomistis: nihilominus tamen Vasquez negat, Cajetanum id docuisse, et indicat etiam Valentia. Verumtamen Cajetanus, 1 part., q. 54, art. 3, ad 4, satis aperte dicit, substantiam Angeli non concurrere ad intellectionem sui ut elicientem, sed ut fontem intellectus in actu respectu sui. At exponit Valentia, solum voluisse docere, substantiam Angeli non concurrere ut formam inhærentem, sed ut unitam intellectui fontaliter, nam est origo, et fons ejus. Sed non recte, nam argumentum non erat de inhærentia, sed de efficientia, quia substantia creata non est proximum principium actionis accidentalis, et respondet Cajetanus, concedendo, substantiam Angeli non esse principium efficiens intellectionem sui, quia non concurrat ut eliciens, utique proxime, sed ut fons. Et idem sentit, quæst. 56, art. 1, § Ad id autem, ubi id declarat, quia sicut substantia Angeli et est essentia quædam et est objectum intelligibile in actu, ita potentia manat ab illa sub utraque ratione, ac subinde sufficienter actuata, seu formata ad eliciendam intellectionem talis substantiæ. Et ita Cajetanum intelligunt, et sequuntur Bannez, et Ripa, dicto

art. 1. Fundamenta autem ejus duo præcipua esse videntur, quæ obiter tacta sunt. Unum quod substantia creata non est proximum principium accidentalis operationis, aliud quod eadem substantia sit intellectiva, et intelligibilis actu, potest ab illa manere intellectus, qui per suam entitatem sit sub utraque ratione proximum principium in actu primo per se constitutum respectu intellectionis ejusdem substantiæ.

6. *Quid Vasquez in ipsa approbet, quid improbet.*—Atque hanc opinionem quoad assertionem probat Vasquez, disput. 204, cap. 2. Displicet autem illi, quod hoc ponatur tanquam speciale in Angelo respectu intellectionis sui: nam idem putat sequi respectu aliorum, vel etiam omnium rerum naturaliter intelligibilium ab Angelo. Nam etiam res aliæ sunt intelligibiles ab Angelo, quia comprehenduntur sub objecto ejus, ergo si propria substantia Angeli, eo quod intelligibilis est ab ipso Angelo, potest intelligi ex vi intellectus, etiamsi ipsa non concurrat per modum principii in ratione objecti, sed tantum in ratione termini, eadem ratione poterit Angelus per se intelligere omnia objecta intelligibilia ab ipso, etiamsi non concurrant per modum principii per se, vel per speciem. Probat consequentiam, quia ad concurrendum per modum termini parum refert, quod intellectus Angeli sit conjunctus realiter propriæ substantiæ, et non aliis rebus, quia ad rationem termini nulla conjunctio naturalis, vel localis necessaria est, sed solum potest requiri ad concursum per modum principii. Et ita non alia ratione censet, Angelum non indigere specie ad cognitionem sui, nisi quia nec ad alia distincta objecta cognoscenda illa indiget. At vero hæc potius est objectio quædam contra hanc tertiam sententiam, deducens ad quoddam inconveniens, quam conveniens probatio veræ assertionis, cum ex falso fundamento procedat. Nec vero illa objectio magni momenti est contra illam sententiam. Nam illa non asserit, unionem naturalem inter propriam substantiam angelicam et suum intellectum esse necessariam, ut substantia possit esse objectum terminativum, et determinans intellectum ad talem actionem, sed esse causam et rationem, ob quam intellectus manat a substantia constitutus in actu primo respectu illius, et ideo non sequitur eandem actualitatem per se habere respectu aliarum substantiarum vel objectorum, quia ab illis non dimanat, nec totam vim intelligendi ab eis recipit, et ideo non improbabiliter specialis ratio respec-

tu cognitionis propriæ substantiæ consideratur.

7. *Tertia et vera sententia.*—*Prima conclusio.*—*Angelus ad se intelligendum non indiget specie impressa intelligibili.*—Nihilominus sententia D. Thomæ communis et probabilior, multum est a præcedentibus diversa. Et ad eam explicandam dico primo. Angelus ad se intuitive intelligendum non indiget specie intelligibili accidentali, suam substantiam in actu primo representante. Ita docet D. Thomas, dicta quæst. 56, art. 1 et 2, contra Gent., cap. 98, et quæst. 8, de Verit., art. 6, et consentiunt Scotus et omnes auctores citati in 2 et 3 opinione, et alii theologi allegandi in sequenti assertionem. Unde Bonaventura, in 2, d. 3, 2, part. 2, quæst. 1, tanquam certam hanc sententiam supponit, dicens: *omnes, qui aliquid intellexerunt, posuisse Angelum cognoscere per species alia objecta præter ea, quæ in Angelo intelligente essentialiter existunt.* Ratio hujus assertionis non est petenda ex eo, quod talis species impossibilis absolute sit. Nam si species intelligibilis unius Angeli potuit dari inferiori et superiori et æquali, si dantur duo Angeli ejusdem speciei, cur non eidem? Nulla certe repugnantia cogitari potest. Ratio ergo ex connaturali ordine rerum naturalium sumenda est, et sic dici potest talis species naturaliter impossibilis, quia intellectus angelicus naturaliter illam non postulat, nec admittit: ergo nec ab essentia ejus naturaliter manat, nec a Deo connaturali modo infunditur. Consequentia patet, quia connaturalis actio et passio proportionem servant. Antecedens probatur, quia natura, quæ unum principium intrinsicum, et sufficiens ad propriam actionem connaturalem habet, nec petit, nec connaturaliter admittit aliud, sed substantia Angeli est sufficiens principium, ergo non petit speciem.

8. Probatur minor cum consequentia, quia species solum ponitur, ut suppleat vicem objecti, unde respectu intellectus aliter est pro objectis materialibus necessaria, aliter pro immaterialibus. Nam pro materialibus objectis imprimis necessaria est species, ut per eam fiant intelligibilia in actu: ex se enim et prout in se sunt, tantum sunt intelligibilia in potentia. Quam distinctionem aliqui non admittunt, vel quia nulla res est proprie intelligibilis actu, nisi quando actu intelligitur, ex se enim tantum est apta intelligi, quod est esse intelligibile in potentia, ut vox ipsa terminata in *bile* denotat: vel si res dicatur actu intelligibilis, quia actu habet aptitudinem, ut intelligatur,

omnia entia materialia sunt intelligibilia in actu, quia de se apta sunt intelligi et intuitive videri ab Angelo, si existant. Sed nihilominus res materiales merito dicuntur a philosophis et theologis intelligibilia in potentia, non in ratione termini, sed in ratione principii. Nam gradus intellectivus immaterialis est, et ideo res materiales ex modo suæ entitatis per se non sunt aptæ, ut sint immediata principia intellectionis, possunt tamen fieri aptæ mediis speciebus intelligibilibus, et ideo secundum se intelligibiles in potentia, et prout in speciebus representantur, dicuntur intelligibiles actu, non quia actu intelligantur, sed quia jam sunt in actu primo sufficientia intelligendi principia in ordine suo. Sic ergo species rerum materialium necessariae sunt ad intelligendum, primo quidem, ut per eas objecta fiant actu intelligibilia, deinde vero, ut per easdem potentiæ uniantur, et ita illam in actu primo, seu in potentia proxima ad intelligendum constituent. At vero in objectis immaterialibus prior ratio cessat, quia ratione suæ immaterialitatis in gradu intellectualium et rerum proxime intelligibilium constituta sunt actu, ergo ex hoc capite non est necessaria species, ut Angelus se intueatur. Nec etiam est necessaria propter unionem objecti cum potentia, quia Angeli substantia satis unita est proprio intellectui: ergo. Dicitur esse unita naturaliter, non intelligibiliter, vel esse unita ut essentia et proprietas, non in ratione objecti et potentiæ, neque in ratione efficientis principii. Sed hæc in sequenti assertionem refellentur, et consummabitur hæc ratio.

9. *Secunda conclusio.*—*Essentia Angeli immediate per seipsam suum intellectum complet in actu primo ad sui cognitionem.*—Dico secundo. Essentia Angeli per seipsam constituit suum intellectum in potentia proxima, ac subinde suo modo in actu primo, ad intelligendum seipsum, et immediate cum illo influit in actum, quo se intelligit, et non tantum remote seu fontaliter. Hic est sine dubio sensus divi Thomæ in priori conclusione, ut ex verbis ejus in locis citatis satis constat. Dicit enim in dicto art. 1, essentiam Angeli, licet subsistens sit, esse formam et principium, quo Angelus seipsum intelligit. Et in dicto art. 6, quæst. 8, de Verit., ad 2, dicit, quod essentia Angeli licet non comparetur ad intellectum ejus ut actus in essendo, comparatur ut actus ad potentiam in intelligendo. Et, ad 6, dicit, essentiam Angeli esse in suo intellectu, ut intelligibile in intelligente. Et ita D. Thomam intel-

lexit, et defendit Ferrariensis 2, contra Gent., c. 98, circa dubium secundum, Soncinus, 12 Metaphysicæ, q. 59, et ante illos Capreolus, in 2, d. 3, quæst. 2, concl. 5, et ad argumenta contra illam, Ægidius, ibid. 2 part. distinctionis, quæst. 2, art. 1, Argentina, q. 2, art. 3, concl. 1, Richardus, a. 6, quæst. 1, Durandus, quæst. 6, et Scotus, quæst. 8. Et de anima separata hoc docuit Henricus, quodlib. 1, q. 12, unde necesse est, ut de Angelis idem dicat, etiamsi alias sibi contrarius sit. Nam ibi dicit, animam separatam se cognoscere sine omni alia specie, et ratio, quam adducit, evidentiùs de Angelis procedit, coincidit enim cum ratione facta in præcedenti conclusione. Et quodlib. 4, quæst. 7, generalius loquitur de omni intellectu creato tam humano (utique separato) quam angelico, et docet, intelligere se, et omnia, quæ in ipso sunt essentialiter sine ulla specie media. Tandem consentiunt alii moderni, Pesantius et Molinos, dict. art. 1, Valentia, disp. 4, quæst. 7, punct. 1, ad 4.

10. *Probatur primo.* — Et imprimis probo, sine fundamento dici, quod intellectus angelicus magis sit in completo actu primo respectu intellectionis sui, quam aliorum. Tum quia etiam respectu sui tantum est potentia intellectiva; sed potentia intellectiva non habet completam activitatem proximam ad suum actum, ergo nec ad cognitionem suæ substantiæ illam habet: tum etiam quia licet eadem substantia Angeli sit essentia ejus, et quoddam objectum intelligibile a se, tamen potentiæ non manant ab ipsa, ut est objectum intelligibile, sed ut est essentia seu natura talis suppositi: unde nulla res, ut est objectum intelligibile, vel sensibile, seu cognoscibile, habet aliquam proprietatem ab ipsa naturaliter resultantem, ergo intellectus Angeli non manat ab ipso tanquam ab objecto intelligibili, sed tanquam ab essentia intellectiva, ergo non manat cum tota activitate necessaria ad intelligendum, etiam ex parte objecti, sed tantum cum illa, quæ ad intellectivam potentiam spectat. Tum præterea, quia eadem ratione, qua a substantia Angeli non manat species intelligibilis in suo intellectu, quæ sit principium intelligendi se ipsum, eadem non manat in ipso intellectu virtus eminens repræsentativa objecti quasi vice speciei, quia cum ibi adsit objectum per se ipsum præsens, etiam hæc virtus superflua est. Præterquam quod ille modus eminentis virtutis ad repræsentationem objecti faciendam in simplici entitate intellectus creati vix est intelligibilis, unde cum necessaria non sit, fin-

genda non est. Nam munus repræsentandi objective rem intelligibilem, et munus vitaliter intelligendi illam, sunt valde diversa, et per se sufficiunt ad constituendas et distinguendas entitates, ut patet in omnibus aliis potentiis et objectis, ergo frustra hic fingitur illa identitas, seu eminentia, maxime cum objectum per se adsit et sufficiat.

11. *Probatur secundo.* — Declaratur præterea ex modo, quo beati vident Deum per essentiam ipsius Dei, quia non dicitur Deus concurrere ad illam visionem loco speciei solum fontaliter et remote, quia infundit quoddam lumen gloriæ ita perfectum, ut habeat vim activam non tantum luminis intellectivi, sed etiam objecti intelligibilis, sed quia Deus per se ipsum proxime habet in visionem concursus illum, quem species intelligibilis solet ad intellectionem tribuere, ut præcedenti tomo, lib. 2, de Attributis, capit. 14 et 15, visum est. At vero eo modo Angelus se ipsum per suam substantiam videt intuitive, quo beati vident Deum per substantiam ejus, ut recte docent D. Thomas et omnes auctores citati, nec potest ulla probabilis ratio differentiæ assignari, ergo non dicitur Angelus se intelligere per suam substantiam, quia intellectus originaliter habet a substantia non tantum activitatem potentiæ, sed etiam objecti. Et sane si hæc opinio admittatur in intellectu Angeli respectu essentiæ suæ, non video, cur non possit, et debeat de lumine gloriæ dici, quod eminenter si virtus intellectiva completa etiam quoad activitatem objecti, sicut aliqui dicere voluerunt: non est enim dissimilis ratio, quia lumen gloriæ est altioris ordinis, quam intellectus angelicus, et cum sola essentia divina habet veluti connaturalitatem. Illam autem opinionem in citato loco reprobavimus, ergo similiter hic modus philosophandi de intellectu angelico rejiciendus est. Aliud exemplum, seu argumentum sumi potest ab anima separata, quæ se per suam substantiam cognoscit, cum tamen verisimile non sit, intellectum humanum, et possibilem per se ipsum esse constitutum in actu primo ad suam animam cognoscendam. Sed quia hoc exemplum suam peculiarem difficultatem habet, illud in librum ultimum sequentis tractatus remittimus.

12. *Probatur tertio.* — Deinde ostendo, nihil repugnare, quod substantia Angeli per se ipsam immediate concurrat effective cum intellectu Angeli ad se cognoscendum. Primo quia vel hoc repugnat, quia imperfectionem involvit tali substantiæ repugnantem, vel quia excedit

perfectionem ejus, vel quia est improporcionata ad movendum intellectum, seu constituendum illum in actu primo. Nihil autem horum dici potest cum probabili fundamento, ergo simpliciter non repugnat, quia nulla alia ratio repugnantiae cogitari potest. Probatur minor quoad primam partem, quia divina essentia per se ipsam immediate concurrat ad creatam sui visionem sine ulla imperfectione, ut in præcedenti tomo, loco citato ostensum est, ergo multo minus erit imperfectio in substantia creata immateriali, quod ad visionem intuitivam sui immediate concurrat, simul cum intellectu suo illam efficiendo. Et confirmatur, quia efficere, ut tale est, ad perfectionem spectat, id est, perfectionem supponit, et ab illa provenit, et quatenus tale est, non ponit in agente imperfectionem, quia nec mutat illum, nec aliquid in illo ponit. Dico autem, *quatenus tale est*, quia si in agente maneat, et recipiatur actio, non pertinet ad illud ut agens est, sed ut passum, et ut sic licet supponat imperfectionem potentialitatis, vel mutabilitatis, nihilominus hæc passio, quæ est intelligere, magnam perfectionem addit supposita imperfectione prædicta. Hæc autem consideratio in præsentem locum non habet, quia licet intellectio sui effective sit immediate a sua substantia in ratione objecti, nullo tamen modo in illa immediate recipitur, sed in sola potentia vitali, a qua dicitur, respectu cuius est propria actio immanens, sicut de visione beatifica etiam dictum est.

13. *Progreditur probatio præcedente numero incohata.* — Probatur deinde secunda pars minoris, quia licet immediate elicere actionem accidentalem per modum potentiæ proximæ excedat fortasse perfectionem substantiæ creatæ, nihilominus immediate agere per modum objecti intelligibilis simul cum potentia, non est cur excedat omnem perfectionem finitam, nec cur requirat in tali objecto perfectionem infinitam. Quia ille actus intelligendi se supponit potentiam vitalem distinctam a substantia, et sibi proportionatam, cooperatio autem substantiæ, solum est ad complendam activitatem actus ex parte objecti, ut possit per modum repræsentationis, et similitudinis fieri, nulla autem ratio est, cur ad hoc sit necessaria infinita perfectio in objecto, sufficit ergo, quod sit immateriale, ac proinde intelligibile in actu, et tali actui proportionatum. Confirmari hoc potest, quia in actibus vitalibus non solum potentia, sed etiam substantia ipsa animæ immediate influit in actum per modum principii prin-

cipalis, ut in tractatu de Anima latius dicemus: quid ergo mirum, quod possit etiam influere per modum objecti, quando opportunum fuerit? Tandem probatur ultima pars, quia, (ut in dicto loco de visione beatifica ostendimus) non est de ratione objecti intelligibilis, ut inhæreat potentiæ intellectivæ, vel proprie illam informet, ut possit cum illa concurrere ad intellectionem sui, si alioqui sit res actu intelligibilis, sed licet sit forma subsistens, sufficit, quod intime conjungatur potentiæ cum aliqua unione, vel subordinatione inter se, sed substantia Angeli, licet non inhæreat suo intellectui, nec informet illum, sed sit subsistens, est illi intime unita, et illam sibi subordinatam habet, ergo hæc unio satis est, ut talis substantia, cum se intelligit, duplicem nostro modo intelligendi (ut sic rem explicem) adhibeat influxum, alterum intelligentis per modum essentiæ, seu principii principalis, alterum intelligibilis per modum objecti intellecti, ergo nihil est, quod ad talem efficientiam desideretur.

14. *Solvuntur vulgares objectiones in præsentem materia.* — Unde solutæ manent vulgares objectiones, quibus probari solet, non posse substantiam supplere vicem speciei intelligibilis, quia species inhæret, et substantia non potest inhære. Item species constituit intellectum in actu primo, quod non potest facere substantia, quia constituere in actu primo est informare, quod potest facere species, non vero substantia. Item quia species, vel id, quod constituit in actu primo, subordinatur in agendo ipsi intellectui, quia illa utitur, non potest autem hoc modo substantia Angeli subordinari intellectui suo, cum sit principalior forma comparatione illius, ergo. Ad hæc late responsum est supra de visione beata, et cum proportione eadem responsio in præsentem locum habet. Nam, ut D. Thomas dixit, dicto art. 1, non est de ratione formæ intelligibilis, ut inhæreat: nam potest esse forma subsistens, et sufficienter, vel etiam melius, et facilius per se efficere, si sit per se unita potentiæ. At vero quando per se non unitur potentiæ, unitur interventu speciei intelligibilis, quæ est accidens, et consequenter inhærens. Per se autem non est necessaria constitutio potentiæ in actu primo per formam informantem, sed satis est, quod compleatur in virtute intelligendi per conjunctionem intimam objecti subsistentis, et tunc dici potest constitui in actu primo non in essendo, sed in agendo, seu in ratione principii completi ad agendum. Et ita